

ne suum in ordine ad electiones in Regem tran- stulit, ut id circa illas disponat, quod commodius arbitrat, subente ergo illo ut hoc modo fiant, communis circa illum consensus est, & ita nul- lius iniuria, unde possit electio reprobari. Si au- tem quispiam velit tunc non esse consensus, ex quo habeatur iuris singulorum cessio, ut videtur officium, cui fors obtigerit; dici potest illum non esse necessarium; ut sortes licite sint; quia vel stare possunt ex communi consensu, vel ex Su- perioris imperio, & ita potest in definitione for- tium diuisionum apponi.

Asserit 2. Peccari grauius ineporum designatione.

10 Dico secundò. In electionibus prædictis peccari grauius solet propter ineptorum designa- tionem, quia vel iuuenes parum cordati, & moribus improbat, aut senes ad vigilias, & actio- nes alias, quæ expeditis exigunt, prorsus inuali- di, aut lucrum ex illa facturi hesterni incolæ, & ita ignoti, sicut & Reipublicæ status ignari, vel aliter incapaces eliguntur. Et electores tales prorsus esse damnabiles res est adeò perspicua, ut non egeat probatione; & magis profectò damnabiles in vrbis Senatoribus, quam si à superiori potestate descenderent. Illi enim tam- quam Reipublicæ immediati curatores, in quos illa curam omnem sui ipsius transtulit, qui & membra illius præcipua, specialissimâ obligatio- ne tenentur, ad prouidendum ipsi optimos iudices, ex quibus eiusdem bonum magna ex parte, immò & potiori, dependet. Et circa hoc qui- dem nequeunt se electores isti ea opinione tueri, quæ in electionibus ad sæcularia officia non esse obligationem ad digniores eligendos affirmat: non enim modò de dignis & dignioribus sermo est, sed de indignis, in quorum electione omnes graue peccatum recognoscunt. Quod licet adeò exploratum sit; oportet tamen inculcari; quia plures circa hoc miserè errant cum magno Rei- publicæ dispendio, unde siue ignorantia, siue incuria, aut incogitantia debet frequentius inculcari. Si præsertim addamus teneri illos ad restitutio- nem omnium damnorum, quæ ex praua fuerint electione secuta. Quod quidem videtur indubi- tabile, & ut tale illud docent Doctores, quos ad- ducit Diana Parte 2. Tract. 2. Miscellaneo. Resol. 67. In qua quidem de obligatione agit circa di- gniorum electionem, & ex multis Auctoribus probat Senatores ad illam teneri cum onere res- titutionis: quamuis alij apud eundem contra- rium teneant. In quâ quidem controuersia ut benignius cum Senatoribus agamus, ut medium saltem teneant, eosdem possumus admonere. Non equidem digniores eligant, sed neque indignos: erimus ergo dignorum electione contenti: cum præsertim inter homines sæculares non sit ita fa- cile excessum dignitatis explorare. Et ita quoli- bet sibi bene uilo, non ex passione, sed bono zelo agentibus, se obligationi suæ satisfecisse; subla- tis conscientie remorsibus, per me licet arbi- trentur.

Et cum res- titutionis obligatio- ne.

Modus fa- cilius ad conscientie leuamen in electione

Diana vo- tum, quod & Aucto- rit.

Asserit 3. De iudice

Addendum in fine cum Diana, sic nonnullis immutatis. Scripsi ad instantiam. N. Faxit Deus ut sint profutura, si non ad electionem dignioris, saltem ad abominationem eius, quâ indigni ad Reipublicæ regimen prouehuntur.

11 Dico tertio, Pro Indorum ad ciuitatem aliquam Hispanorum pertinentium gubernatio-

ne, solet alicubi cum Alcaldis iudex specialis eli- gi, qui dicitur iudex Naturalium seu Indigena- rum. In cuius electione ratio in primis habenda Indorum, ut scilicet talis illis tradatur Iudex, qui eorum possit bonum spirituale, & politicum promouere. Quod dum non attenditur, grauis in electione culpa admiscetur. Et ut, quæ de illo dici possunt, breuiter complectamur: talis præ- fectura Indis debet esse prorsus innoxia: unde ad propria commoda ministeris Indorum ut ne- queunt magis, quàm si Hispani essent, ut de Commendatariis dicebamus. Si secus faciant, præter graua in eo peccata reperta; restitutionis oneri subiacebunt.

peculiaris Indorum.

12 Dico quarto: circa prædictas electio- nes, & alias, iuramentum ita obligat; quod de fideliter agendo officio; ac præsertim dum de electionibus agitur, solent præstare Senatores, ut si indignos eligant, rei sint violati iuramenti: si autem dignos, licet non digniores, non ita; sic Diana cum aliis supra dicto Quarto. Fundamen- tum est idem quod de Prætoribus agentes, Tit. 6. Cap. 1. iuxta receptissimam doctrinam stabili- mus: Iuramentum scilicet non addere nouam obligationem extensiuè, sed eâ suppositâ, iuxta ipsam obligare. Cum ergo Senatores ad electio- nem dignorum, reiectis indignis, grauius vrgeantur: sacrilegi erunt indignos eligentes: & cum aliis non obligentur secundum probabilem opi- nionem ad electionem digniorum, saltem sub mortali eos omittere graue sacrilegium non erit; immò neque leue, si recto animo proceda- tur iuxta num. 10. si quis autem manifestè depre- hendat maiorem alicuius dignitatem, & propter humanum aliquem respectum minus dignum eli- gat, nullo modo videtur excusari posse à pecca- to veniali graui, quandoquidem & digniori ali- qualem iniuriam irrogat, qui ut melior Reipu- blicæ pars maius habet ius ad honorificam munera, & insuper causa est aliquorum damnorum, quæ Reipublicæ obuenire possunt, aut saltem minus bonæ administrationis, quæ vix intelligi potest quomodo stare sine damnis multis possit, quan- do, ut alia desint, ipsa boni diminutio damnum est, eius præsertim comparatione, qui ad bonum procurandum obligatur.

Asserit 4. Circa iuramentum Senatorum, præsertim in electio- nibus.

In digno- ris omisio- ne ut pec- catis con- tingat.

CAPVT III.

Alcaldiorum obligationes in conscien- tiæ foro specialius explicatæ.

13 Prima eorum personales mores con- cernit, ne scilicet turpibus amoribus implicati, ineptos se ad aliorum cor- rectionem reddant. Sint ergo casti, vel saltem cauti, quamuis difficile valde sit ut turpis possit conuersationis successiuus tractus occultari. Scâ- dalum certè in illis grauius peccatum est, nec tan- tum aggrauans circumstantia, sed mutans spe- ciem ob specialem officij qualitatem; oritur enim non solum ex violatâ communi lege charitatis, aut virtutis specialis, contra quam est scandalum, secundum diuersas opiniones; sed ex eo quòd contra officij propriam institutionem agitur, ad com-

Scandalum in illis cir- cumstan- tiis spe- cialiter mu- tans.

Alcaldiorum obligationes in conscientia foro.

commune bonum, & prauitatem correctionem destinati. Vnde communiter Doctores circum- stantiam hanc, ut specialem, & ita in confessione aperiendam contestantur: estque prima respectu aliarum, quæ vulgari carmine designantur, scilicet Quis. Et ita tenent in speciali, quos adducit P. Fagundez Lib. 4. in præcepta Ecclesiæ Cap. 4. num. 5. licet ipse non esse circumstantiam, quæ speciem mutet, affirmet, confitentiam tamen iuxta suam opinionem de obligatione confiten- di circumstantias aggrauantes de qua Cap. 2. sed certè rationem adductam specialem obligationis ratione officij non tangit, sicut neque alij non pauci, unde pariter loquuntur de Prælato, & vi- ro graui, quorum praua exempla specialius indu- cunt ad præiudicalem imitationem; cum tamen certum sit diuersa rationis esse obligationem quæ est in Prælato, ac iudice, ab eâ quæ in viro gra- ui est.

Furtum in iudice non esse circum- stantiam notabiliter aggrauan- tem, pro- babilis sententia.

14 Et de furto quidem loquendo, quod Iudex Reipublicæ faciat, sunt qui censent non esse circumstantiam notabiliter aggrauantem, quia est obligationis transgressio eiusdem speciei, scilicet in genere iustitiæ; ex iustitiâ enim tenetur quis non furari, & ex iustitiâ etiam tenetur iudex ciuium bona custodire; multiplicatio autem obligationum in eodem genere non aggrauat notabiliter, unde neque violatio ex eo notabili- ter aggrauatur, sicut in faciente plures scripturas de eadem re, & promissionem infringente. Sic citatus Auctor supra Cap. 3. num. 2. cum Henrico & Palacio. Apud eundem tamen ibidem. Ioan- nes de Medina, & Bartholomæus de Medina; circumstantiam notabiliter aggrauantem esse cen- sent, & necessariò in confessione aperiendam. Addunt tamen priores id intelligendum secluso scandalo & quidem cum sententiâ istâ bonos Auctores habeant, licebit illas in praxi amplecti, & id quod de furto dictum est ad luxuriam trās- ferre. Tenetur enim quis in eo genere prauum exemplum non præbere, ita ut ex eo alij ad simi- lia non sint verolimitè inducendi: quæ obli- gatio in iudice quidem est, sed ei similis, quæ in viro alio graui; non enim esse maior potest; nisi quatenus magis ex eo moueri possunt, qui vi- derint, aut scierint; atqui hoc non solum in Iudice sed in alio gradis auctoritatis contingere po- test; quòd si dicas plus mouere exemplum iudi- cis, quia cum ipse in eo genere aperte delinquat, non poterit alios similitè peccantes corrigere, & sic luxuriæ regnum propagabitur: id non vide- tur vrgeri, quia totum illud reducitur ad ampli- orem peccandi licentiam, quæ circumstantia non mutat speciem, quia magis, & minus non variant illam iuxta receptissimum axioma. Licebit ergo, ut dixi, commodâ hac adhibita explicatione sen- tentias dictas amplecti.

Qua ad luxuriam potest trās- ferri.

Sed prior sententia præsertim, & robo- rantur.

15 Nihilominus quod asserui prius, vali- dissimo fundamento innititur, cui non plene sit satis per adducta: Ratione enim officij specialis obligatio est, ut negare potest nemo; quia ea non oritur ex communi lege charitatis, nec specialis virtutis Castitatis, ut etiam est planum, quia illæ rationes sunt communes omnibus: ergo ex spe- ciali titulo officij: atqui obligatio talis non est leuis, cum circa materiam grauissimam versetur, & ex quâ salus populorum pendet; ergo est gra-

uis, & ita illius obligationis transgressio erit mor- talis. Vnusquisque ergo in suo sensu abundet: & sit probabile, quod Doctores citati conten- dunt, mihi contrarium solidiori videtur ratione fundatum & quidem Sancti Patres grauissimè in- uehantur in eos, qui in dignitate positi, licentius peccant, eorum specialem malitiam perpenden- tes, quia ex officio ad rectè agendum astringun- tur. Quæ sane ponderationes, admonitiones, & increpationes nullius essent roboris, quando- quidem rectores populorum ad nihil speciale, quod obligationem sub mortali inducat, & aperi- ri in confessione debeat, sunt adstricti. Talis il- la Dni Isidori Lib. 2. officiorum. Cap. 5. sic lo- cuti; quia fronte subditos arguere poterit, cum illi statim possit correptis ingerere: ante docente que re- cta sit? quapropter qui negligit recta facere, ne- gligar recta docere. Sic ille: unde est memorabilis illa Dni Gregorij Magni sententia: Pastoralis cu- ra Parte 2. Cap. 2. ita terribentis: Rector semper co- gitatione sit mundus, quatenus nulla hinc immunda- ria polluat qui hoc suscepit officij, ut in alienis quoque cordibus pollutionis maculas tergat: quia necesse est ut esse munda subeat manus, quæ diuere aliorum for- des curat; ne tacta queque deterius inquinet, si for- dida in semens lutum tenet. Hæc Doctor Sanctus. Quod autem ad materiam iustitiæ attinet, non obitare communem illius rationem diuerfitatè specificæ multat, clarè ostendit P. Petrus Hur- radus. 2. 2. Disput. 173. §. 61. quem Diana ad- ducit Parte 5. Tract. 7. Resol. 2.

SS. Patres in iudice scandala perpetrantes acriter inuehun- tur.

D. Isidorus.

D. Gregor. Magnus.

16 Secunda obligatio, quæ & illis cum Se- natoribus communis, ne potestate utantur ut Ta- bernarios grauent vendenda obrudentes, in- iustis tanè, quia sua licet commodè vendere, & ma- iori pretio coguntur accipere, ad arbitrium tra- dentium soluturi. Et solet illis hoc operis quan- tum est compensari permissione multorum quo- ad vitæ turpitudinem, siue quoad officij vltim Reipublicæ noxiam. Est ergo in his non so- lum peccatum, sed peccatorum aceruus penitus manifestus cum obligatione restitutionis in soli- dum faciendæ. Quantum autem & qualiter iux- ta regulas est apud Theologos obuias compo- nendum, à peritis Confessariis neutiquam ignorandas. Et poterit quidem continge- re ut restitutionis nulla obligatio sit; si videlicet Tabernarij libenter id onus subeant, ut sibi vituendi ad libitum facultas tribuantur: scienti enim & volenti non fit iniuria, ut est Iuris regula nemini non nota. Licet cessante obligatione circa Tabernarios, possit alia maior remanere: si videlicet illi iniustias vendendo commiserint, quibus compensationem nequeant exhibere. Tunc enim Senatores & Alcaldij ad restitutio- nem tenentur, quia cum ex officio ad eas vitan- das tenerentur, id minimè præstiterunt; immo fomentum suâ conuientia cumularunt. Habent tamen refugium Bullæ ob incertitudinem debi- torum, sicut de Prætoribus & Commendatariis dictum. Vide etiam Tit. 3. num. 18.

Alcaldij & Senato- res gra- uando Ta- bernarios ut peccant, & ad res- titutionem tenentur.

17 Tertia, ne ludorum domos permittant, in quibus graua crimina committuntur, iuxta diuersas ludorum & ludentium qualitates: sunt enim contubernia diabolorum, abominationum sentina, inferorum simulacra, & lupanaribus deteriores: in quibus quæ committuntur pecca-

In permis- sione item ludorum existimium.

ta minus profecto grauius sunt; & illa quidem ob vitanda maiora mala aliquando permiffa: domus autem dictæ nullius maioris mali vitandi intuitu tolerabiles inueniuntur; cum aliunde multorum & ingenium malorum cauffa certiffimæ comprobentur. Pro quo videri poſſunt ſtatim adducendi. Quod ſi pretio à iudicibus accepto foueantur, nihil cogitari indignius poteſt in homine Chriſtiano. Quot in illis flagitia ebulliunt, eidem tribuuntur auctori; ſi quæ iniuſtitiæ, onus reſtitutionis inducunt.

18 Quarta circa ludum etiam verſatur, pro quâ nequeunt præſati, ſicut neque Gubernatores aut Prætores, menſas exponere. Et generaliter loquendo de exponentibus illas, ſi abſurda prædicta, communiter accidentia timeantur & multo potius ſi experientia conſent, comperit videtur in eo multa mortalia committi. Pro quo videndi P. Molina Diſput. 521. §. Quod attingit P. Petrus Hurtadus. 2.2. Diſput. 173. §. 406. & ſeqq. P. Dicafillus Lib. 2. de Inſtituta. Tract. 18. Diſput. 5. Dub. 4. Trullench Lib. 7. Cap. 27. Dub. 1. Diana Parte 2. Tract. 15. Reſolut. 65. P. Onate Diſp. 131. num. 113. Pharaonius Tract. 1. Seſſione. 11. Caſu 22. vt alios omitam. Non deſuerunt autem qui licitam talem expoſitionem aſſerent apud Dianam & Trullench, qui dum communem ſententiam tutiorem & verioſam dicit, non videtur oppoſitam penitus improbare. Procedit autem illa iuxta receptam doctrinam de rebus indifferentibus, quæ miniſtrari poſſunt abuſuris iuxta dicta Tir. 1. numer. 144. & ſeqq. & Tir. 4. numer. 45. Pro quâ & videri præterea poſſunt P. Agidius. 2.2. Diſp. 18. num. 114. & P. Granadus ibidem pag. 211. num. 3. & roborari poteſt ex receptâ ſententiâ de artiſtibus taxillorum, tabularum, teſſerarum, ſeu taxillorum, iuxta quam non peccant, vt videri poteſt apud Caietanum in Commentario Artic. 2. quaſi. 169. ad finem. circa 3. Dubium. 2. 2. P. Dicafillum, & alios. Alij autem verofimilius locuti, dum expoſitionem menſarum non reprobant, ſi præſata abſurda caueantur. Pro quo citati, & præterea Card. Lugo Diſput. 31. num. 6. & P. Fragoſus Tomo 1. pag. 207. num. 295. verſ. 1. quia ex ſe id non habet deformitatem notabilem, cum ludus ex ſe ſit licitus, & leges de illo loquentes vſu non receptæ. Circa quod P. Onate aliquid addit neutiſquam omitendum, dum ait quod etiamſi inter honeſtos luſores aliqui miſceantur, qui contra menſas exponentium voluntatem iniuſte luderent, non eſt eis omnino abſolutio deneganda: quia vitia, vt ſupponitur, contra eorum voluntatem ſunt, & aliàs ludus eſt iuſtus contractus, ſi & pretium pro commoditate exhibitâ ad illum ſit moderatus.

19 Et hæc quidem Gubernatoribus & alijs, de quibus loquimur, fauent, in quorum domibus facilius poſſunt ingentia illa grauamina conſcientiæ cauere, dum ipſi aduigilant, & eorum auctoritas poteſt colluſores in officio continere. Quâ ratione ludus in Corpore cuſtodix militaris vt licitus admittitur, iuxta Dianam, & P. Onate ſuprà, quia vt milites nihil exorbitans ludendo committant, ad ſunt præſecti militiæ. Quod autem ex eo emolumentum aliquod Gubernatoribus accreſcat, non videtur obſtare, quia gratis à

Quid pro illis faciat.

ludentibus tribuitur, dum eorum gratiam eo pacto facilius & honeſtius accipiuntur. Vnde & illi circa hoc ſuos habent defenſores.

20 Nihilominus ſecundum ea loquendo quæ communiter accidunt, & ex quibus ſolet in ordine ad conſcientiæ grauamen reſolutio deſummi prædicta menſarum expoſitio non videtur licita ob multa, quæ in illâ non tolerabilia concurrunt. Nam Primo ſine delectu ludentes admittuntur. Secundo exceſſiua ludo exponuntur quantitates, vnde grauius in familijs præiudicia reſultant. Et quidem cum in Caſtellâ ſtatutum lege ſit ne quis vltra duos Regales ludo exponat; quod in Indijs poſſet ad octo, aut etiam ad duos octiregales extendi: quomodo non abſurdiſſimum ſit, & notabiliter deforme; vt in domo eius, qui adminiſtrandæ iuſtitix, & legum obſeruatiõni præſicitur, immenſæ ludo quantitates exponantur. Licet enim leges dictæ non videantur vſu receptæ, oſtendunt tamen grauiam inconuenientiam in earum tranſgreſſione. Tertio quia ludus per maiorem noctis partem protenditur, vnde vxorati minus ſerò in ſuas ſe domos recipiunt, cum grauiffimâ earum moleſtiâ, & litium interminabilem occasione. Quarto. Lucrum Gubernatorum eſſe immoderatum ſolet, vt fatiſ notum. Vnius ex minoribus huius Regni ciuitatis Prætor, cum per biennium ob ſitem illi intentatam abſiſſet: indoluit ex animo quadraginta mille octiregalem ſe lucrum propter interceptum ludum amiſſiſſe. Quinto. Nam cum ij, qui ludere quaſtuofius poſſunt, viri potentiores ſint, vt ad ludum afficiantur, viuere vt libuerit permittuntur: neque illi ſolummodo, ſed quicumque ad eos poſſunt pertinere. Sexto. Quia cum Magiſtratus communiter vxorati ſint, & filias mauiſculas habeant, tot inſtrantium congreſſu periculis exponuntur, & illæ vt aliquid à ludentibus accipiant, ad eos accedere non verentur, & ab ipſis indecenter contrectari. Sexto. Quia Ecclèſiaſtici ad ludendum admittuntur, & modum illi circa ſubſtantiam & conditiones ludi tranſgrediuntur. Octauo. Nam importunis precibus ſolent plures ad ludendum adduci: quo euentu, ſi perdunt, obligatio reſtituendi ſubeſt, iuxta probabiliffimam ſententiam, quam cum multis amplectitur P. Thomas Sancius Tomo 1. Conſultorum. Libro 1. Cap. 8. Dub. 9. & eſt iuxta mentem omnium ſi importunitates cum metu adhibeantur, vt accidere frequentiùs poteſt; quando ad id per ſe, aut per alias inuitant magiſtratus. Pro quo videri poteſt doctrina Cardinalis Lugo Diſp. 31. citata, num. 28. iunctis iis, quæ habet Diſput. 22. num. 148. Tandem (vt alia omitam) quia in hoc magna ciuium offenſio, & ſcandalum intercedit, & valde vileſcunt ſic agentes, in eorum oculis, vt homines peſſimæ conſcientiæ, quibus priuata luera potiora iuſtitia ſunt; & omni communis boni reſpectu.

21 Et hæc quidem fere communia ſunt, cum ſint alia quandoque, quibus abſurditas comerci huius aggeratur. Cõtingit enim mirabile aliquid, in oculis multorum, vt ſcilicet qui perdunt, perdant, & qui lucentur non lucentur. Quia ſcilicet lucentibus non permittitur, vt pecuniam ſecum tollant ſed in arcâ concluditur, vt ſic ad craſtinum ludum redire compellantur. Quod quidem in

Sed plura ſunt contra ipſa.

Modus præiudicialis compellendi ad ludum, & obligatio reſtitutionis ex illo.

is, qui ex ludo non viuunt, ſed rariùs in eo ſe exercent, cum graui iniuſtitia videtur eſſe coniunctum; forſitan enim non rediret quis, & timore non recuperandæ pecuniæ redit, vnde ſi redeat, & perdat, obligatio reſtitutionis emergit; quia talis metus contractum inuoluntarium reddit. Pro quo P. Sancius ſuprà, num. 3. & 7. licet autem ſint qui probabiliter ſentiant attrahentem ad ludum, quomodo cumque id faciat, etiamſi per iniuriam, non teneri ad reſtitutionem eius, quod lucratus eſt; quia abſolute voluntarius ludus ſuit, & ſicut perdere potuit, ita & lucrari, & lucrans ad reſtitutionem minimè teneretur; quod ſecus accideret, ſi contractus eſſet nullus, vt videri poteſt apud P. Molinam ſic tenentem Diſput. 516. illi tamen de colludente loquuntur, non de attrahente modo dicto, licet ratio videatur ſimilis, quæ reuera non eſt; eod quod vſu pecuniæ ſuæ priuatus ſit omnino inuoluntariè & huic coactioni metus eſt amiſſionis adiunctus, & ad hunc modum alia adueniuntur quotidie conquirendi per ludum artiſticia, auctore diabolo: in quibus iniuſtitia vngues ſtatim oſtendit ſuos, ex quibus eam dignoſci operoſum non ſit, & ita conſeſſarij officio ſuo poterunt ſatisfacere, ex principijs communibus, & ſententijs per Doctores Claſſicos approbatis. Vnde nos ad alia.

De obligatione circumuendi noctu ciuitatem, cum notanda doctrina.

22 Quinta obligatio eſt circumuendi noctu ciuitatem; & ſubmotendi quicquid occurrerit noxiale. Circa quod docti aliqui ita ſentunt, vt licet iuramentum circa cuſtodendas leges præceſſerit, quod ad ſpecielem illam, de qua loquimur, le extendat, non tamen ſit perſurus miniſter publicus, ſi noctu poſt ſignum nolæ inueniat per vrbelem, etiam cum armis, ſibi notos, & conſanguineos, & illos abire ſinat, cum ea ſit conſuetudo, & vſus receptus; dummodo certo ſciat nullum dânum ab ipſis alicui inferendum. Quod etiam habet locum quando nobiles inueniuntur, præſertim ſi ex eorum delatione detrimentum aliquod timeatur: non enim obligat iuramentum cum notabili periculo, vt eſt ſententia communis. Sic P. Fragoſus pag. 524. verſ. Accedit, citans P. Leſſium Lib. 2. cap. 13. dub. 10. num. 76. vbi nec verbum; & licet videatur de miniſtro iuſtitix loqui, qui magiſtratus non eſt, cum ab obligatione accuſationis ob metum excuſet: re tamen vera de iudicibus, & Magiſtratibus loquitur, vt patet ex contextu, & magiſtratus etiam timere aliquando; atque ex timore aliquid obligatorium prætermittere poſſunt, ſi inde illis ſpeciale detrimentum imminet; dummodo Reſpublica ex eo notabile detrimentum minimè patiat. Aliquid ergo ob ſimulatis tumultus, iniuſtas capitulationes vitandas nobilibus poteſt indulgeri. Alios autem ob pretium aliquod, & reſpectum humanum, non attingere, & in turpi commercio inuentis diabolicam indulgentiam ob largitionem concedere, piaculum eſt, quod vtram poſſint tales per ſacras indulgentias expiare.

De obligatione circa ludos publicos.

23 Poſtrema (vt præteream alias ad prædictas reuocandas) circa ludos publicos verſatur, vt taurorum agitationes, equeſtres velitationes, canis pro lanceis adhibitis, comedias, & ſimiles, & quod ad iſtas attinet, nihil eſt, quod pro Indijs occurrat ſpeciale: circa ludos autem dictos ſint.

ne liciti, quod ad equeſtres velitationes attinet; dubitari nequit de quibus ſimiliter dicendum nihil pro Indijs peculiare haberi. Quoad agitationes verò taurorum peccare profecto dicti Magiſtratus poſſunt, ſi eorum vſum frequentioſum inducant; cum conſtet in Indijs cum ſpeciali periculo Indorum exerceri: quod ex natura rei illicitum eſt, & ſpecialiter à Clemente Octauo in Bullâ omnium circa hoc temperatiſſimè prouidetur; pro quo videndus P. Thomas Sancius ſuprà dub. 31. num. 2. & 12. Vnde & poterat dubitari an generaliter peccatum graue ſit illud permittere, ad ſupremos etiam Magiſtratus referendum. Quod equidem mihi ita videtur; ſed nihilominus aſſero illis circa hoc non eſſe ſcrupulum iniiciendum, quia ad nihil deſeruiet, niſi eſt qui bonâ procedunt fide malam habere incipiunt, & eâ non obſtante iuxta conſuetudinem operentur, quamquam & futuros plures pro certo haberi poſſit qui conſcientias Magiſtratum omnino ſint ſecuras reddituri, quicumque autem ludi ſint, pro expenſis in illis faciendis collectas facere, & Officiales inferiores, ſeu mechanicos artiſtices irremiſſibili exactione grauare, ſicut & rerum ad vſum quotidianum in victu, & alijs opportunarum venditores, non videtur quomodo poſſit cum iuſtitia componi. Licet enim aliquorum ſententia ſit ciuitatibus collectas eſſe licitas, dum à Reſtoribus pro communibus neceſſitatibus ſunt, & ita vſque ad certam quantitatem in regniſ Hispaniæ conceſſæ, vt cum alijs tradit D. Elcalona in Gazophylacio Part. 1. pag. 160. num. 6. illâ tamen non ab aliquibus, ſed ab omnibus attentâ ſingulorum facultate exigendæ ſunt, vt docent communiter Doctores, & inter alios Sylueſter, Viualdus, Sayrus, Duardus, Bonacina, quos adducit, & videtur ſequi P. Palaus Tomo 6. Diſput. 3. Puncto 6. num. 3. quandoquidem eos citat, nec contradicit; ſed neque contradicere poteſt, cum ſit communis explicatio, pro quâ etiam ſtat P. Thomas Sancius Tomo 1. Conſil. lib. 2. cap. 4. dub. 1. n. 2. & alij.

De agitatione taurorum.

Collecta pro Indijs qualiter facienda.

24 In eo autem non eſt certa eorum ſententia, quod per Bullam quæ exiſtunt non excommunicari collectas imponentes Excommunicat. 5. id quod poteſt ex ipſâ collectæ explicatione probari: cum enim per eam non imponatur onus improporcionabile ciuibus, ſed ab illis iuxta menſuram facultatum exigatur, nulla in eo eſſe inæqualitas poteſt, & ita neque iniuſtitia, ſicut accidit in alijs exactionibus: & præterea collecta eſt ad actum vnicum; & ita tranſit; cum tamen exactiones aliæ ſoleant æternare. Quæ cum ita ſint; collecta quæ ſolos ordinarios artiſtices, & viliores venditores grauatur, pro exigentia arbitrio, proſus videtur iniuſta: pro quo auctores quamplures adducit Diana Tomo 1. Tractat. 3. Reſolut. 2. proportionabilitatem tamquam certiffimam neceſſariam ſtatuentes. Quod ſi dicatur id quod ab illis colligitur eſſe ſufficiens, & ita non oportere collectam ad alios extendi id quidem tunc ſtare poterit, quando ij, qui hoc anno contribuerunt, anno ſequenti nihil tribuunt, & ita currentibus annis ea ſeruetur proportio, vt tandem omnes partem oneris conſtet ſuſtinere: & fatiſ quidem videtur abſurdum, vt ditiorum, ac potentiorum voluptas pauperum ſudoribus diſpo-

In Bullâ Cæna non comprehendit, ſas, etiamſi exceſſiua ſint: & ex collectis ex- plicatur.